

Nf. 24.



IAC. CAR. SPENER,
IVR. D. ET PHIL. P. ORDIN.

**HISTORIÆ
PHILOSOPHICÆ
EXPOSITIONEM
PVBLICAM,
ET
CETERA, QVÆ APERTVRVS EST,
COLLEGIA
INDICIT.**

ag!

CIVIBVS ACADEMIÆ NOSTRÆ,
CVIVSCVNQVE DIGNATIONIS ET ORDINIS
HONORATISSIMIS,
S. D.



Olent equidem collegia vertente quouis
semestri publico indici lectionum indi-
ce: adeoque opus non videtur esse, vt
peculiarem quispiam instituti sui infor-
mationem publice edat. Cum tamen an-
tecaptam tractationis cuiuslibet notio-
nem habere vtile sit, prolixè autem in syl-
labo illo de proposita methodo docendi
differere non liceat, libeater consilium inii, pauca de laboribus me-
is hiemalibus, quos Vestris commodis consecravi, præmonere.

Publice hætenus historiam patriæ per integrum annum ex-
posui. Licet etiam dicere, nihil me docendo prætermisisse,
quod perfecta omni sua parte historia videatur requirere. Ab eo
vero argumento ad aliud nunc secedo, quod nisi me coniecturæ
fallunt, æque est iucundum, & vtilitatem generaliore[m] spondet.
Est *historia philosophiæ & studiorum vniuersalis*, quam hoc elogio
compello, quamque publicis meis commentationibus destina-
tam habeo. Iuuat non solum sed & delectat mirifice, nosse inge-
niorum felicium ad sapientiæ sacra progressiones. Excitat etiam
& addit animos ad conatus præclariore[s], quorum vix ignaros hu-
ius historiæ subiisset cogitatio. Modum quo dirigamus nostras
scholas, Celeberrimus D. Buddeus in instrumentalis suæ phi-
losophiæ parte prima præscripsit: quem sequar, vt tamen pro
instituturatione ad omnium studiorum patefaciendam successio-
nem subinde excurram.

Inter priuatas operas meas primam nomino, quam *historiæ
Germanicæ* publice explicatæ, iterata vice tradendæ attribui. Sic
me, dum nuper prælegerem hanc materiam, adpliciui ad omnes
historiarum harumce fontes eruendos & eruendos, vt nihil fa-
cile, quod conducere posset, reliquerim intentatum. Hac vice
non tam copiam, quam selectum, optimamque rerum tractanda-
rum

rum methodum meditabor, idque elaborabo, vt patriarum rerum vere gnari ex institutionibus meis discedant auditores. Diuidi in septem periodos historiam Germanicam, easque in sectiones singulares distinxī: sectionibus cohærentia inter se membra quæuis ostendi, nihilque quod aut vsum rerum adiuet, aut cognitu opus sit, præterit. Cum vero destituar omni auctore, cuius ductu explicationem ordinare possim; concisis nunc aphorismis potiora historica momenta & nexum membrorum consignabo, vt & facilitatis & ordinis cuiuslibet ratio manifesta pateat.

Alter labor meus in tradenda *Historia'vniuersali civili* versabitur. In eodem campo planius & plenius emeticendo superiori ætate non parum defudaui: eaque ex causa manu scriptas observationes & notas ad Cellarianam historiam præstantissimis meis auditoribus propofui. Videor mihi nunc inuenisse viam minus difficilem, historiarum illam siluam perlustrandi, & iustam porrigendi dignamque homine ad res gerendas nato rerum in mundo æstarum notitiam. Si qui ergo historias mecum voluerint peragrare, non segnis nec deses ductor ero, sed bono audientium lubentissime meas vigilias infumam. Excerptam autem ex animaduersionibus meis certas quasdam positiones, quibus connexionem continuæ meæ narrationis commonstrem, simulque digitum ad ipsos fontes intendam.

Iungam historiis philosophiam, & Venerandi D. Buddei institutiones philosophicas pertractare incipiam. Ex iis peruolui ætate præterlapsa *disciplinas, quæ instruunt intellectum*. Est vero mihi animus iterare illas lectiones, eo nunc futuras luculentiores & fructuosiores, quo plus temporis habeam, cuius magnam olim partem historię philosophię impendi. Ad dam disputationes priuatas, quibus ea quæ docui, vberius explanare, & ipsa exercitatione declarare valebo.

Præter has vero artes, quæ instrumentorum vicem subeunt, præcipuam *doctrinam, quæ nos aliosque cognoscere docet, quæ virtutis & officii & bene viuendi disciplinam profitendo, ad veram felicitatem querendam nos manuducit*, peculiari hora expendam. Viuimus omnes aliis. Ad hanc legem non docti, sed facti

facti, non instituti, sed imbuti sumus. Sed viuere ita decet, ne nostri inmemores eum aliis, quod fit frequenter, salutis & felicitatis nostræ iacturam faciamus. Age ergo, vt valeamus æternæ legi sufficere, inquiramus in nosmetipsos, & diuino illo expleto præcepto sic nostros mores componamus, vt profimus omnibus, nec desimus nobis. Pollicetur hanc artem vitæ consideraturis concinnum cogitationum ordinem laudatis simus institutionum philosophicarum auctor. Agit de homine, eius morbis, qui in mente visuntur, sanitate mentis, signis propensionum, & remediis morborum mentis: omnia apposite & eleganter. Premam huius auctoris vestigia, & præeam doctrinæ huc suas curas addicentibus: adiuncturus nouo semestri reliquas philosophiæ practicæ partes.

Demum commentabor in *iuris publici prudentiam* Illustris Cocceii. Superat hic Cocceianus labor laudes meas: exque adeo in vulgus notæ sunt, vt superfluum videatur de prærogatiuis illius libri præ omnibus reliquis differere. Quod vero in reliquis decreui, hic pariter breues theses, quibus dicenda definiantur, promitto: & vt singula ex legibus imperii publicis & historicis originibus illustrentur, & iusto modo deducantur, laborabo. Et quidem valde nos subleuabit patriarum rerum prætractata historia. Cœpit enim extra controuersiam nunc esse, potissimum iuris nostri publici in historiis collocandum esse fundamentum: idque præsertim Illustris Cocceius primus insigni opere suo contra antecedentium auctorum hallucinationes demonstrauit.

Sunt hæc meæ scholæ, quas hoc semestri animus est absoluerè. Initium lectionibus priuatis D. X. Oct. dabit. Publicam promissi argumenti expositionem D. XVII. Oct. ordiar. Et publice quidem H. I. docebo, H. IX. aut II. *philosophiam instrumentalem* explicabo. Hora X. *historiæ vniuersali* tradendæ nauabo operam. H. XI. in *moralem philosophiam* commentabor. Horam III. *historiæ nostræ Germanicæ* dicabo. Conuentui, in quo *de iure publico* dispiciamus, nullam adhuc horam decreui, sed liberam eam eligendi optionem relinquo.

Ceterum Deus omnis veri bonique parens immensus & infinitus ita meas operas adiuuet, vt eas sincere vnicque eius gloriæ, vestrisque, qui sapientiæ in hac regia Fridericiana operamini, commodis & emolumentis mancipatas habeo & habebō. Dab. Halæ Kal. Oct. Cl. 1722.

Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687



St

V017







31

IAC. CAR. SPENER,
IVR. D. ET PHIL. P. ORDIN.

**HISTORIÆ
PHILOSOPHICÆ
EXPOSITIONEM
PVBLICAM,**

ET
CETERA, QVÆ APERTVRVS EST,
COLLEGIA
INDICIT.

ag!

